



# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid & quotuplex sit denuntiatio & in quibus casibus possit Judex  
procedre per denuntiationem judicialem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## SECTIO III.

## De Denuntiationibus.

## §. I.

*Quid, & quod simplex sit denuntiatio, & in quibus casibus possit Index procedere per denuntiationem judicalem?*

**D**enuntiatio in genere dici potest, quod sit alicujus criminis delatio, seu manifestatio superiori legitime facta. Est autem denuntiatio duplex: alia Evangelica, quæ etiam charitativa dicitur, si scilicet ad emendationem, & correctionem, ac penitentiam, juxta formam à lege Evangelica Matth. 18. introductam, denuntiatio ad Superiorem ut Patrem fiat: alia judicialis, si crimen deferatur ad Superiorem, ut judicem, ob publicam vindictam, aut privatam punitionem, ut per punitionem delinquentis satisfiat communitati, aut parti læsæ; & hinc subdividitur hæc judicialis denuntiatio in publicam, seu criminalem, quæ fit ad publicam vindictam, & in privatam, seu Civilem, quæ privatum interesse attendit; in Canonicam, quæ fit contra Prælatum v. g. & in regularem, quæ expeditur secundum diversas regulas diversarum religionum, &c.

Potest autem Index in foro sæculari ex officio procedere, si denuntiatio judicialis facta fuit per eos, qui publicam auctoritatem deputati sunt, ad denuntiandum; vel etiam, juxta receptam consuetudinem, ad denuntiationem cujuslibet privati, cum publico bono pluri-

*Compend. Pirhing,*

mum interfit, ne delicta maneant impunita, quocunque modo eorum malitia ad judicem legitime perveniat: de jure tamen Canonico non tenetur Index Ecclesiasticus quamcunque denuntiationem judicalem admittere, nisi Clericus sit, vel Regularis, qui denuntiatur, vel Laicus quidem sit, qui denuntiatur, crimen tamen, de quo denuntiatur, sit naturæ suæ Ecclesiasticum, simonia v. g. hæresis, &c. vel nisi denuntiatio fiat ob defectum justitiæ in foro sæculari; vel ratione pacis violatæ, aut juramenti non servati à Laicis.

## §. II.

*Virum ante denuntiationem judicalem semper procedere debeat secreta monitio, & an etiam alie juris solemnitates in ea servanda sint, & quinam ab hac denuntiatione repellantur?*

**A**d denuntiationem judicalem, sive generalis hæc sit, & publica, sive privata, & specialis, non prærequiritur in foro sæculari, ulla prævia monitio; prærequiritur tamen hæc in foro Canonico, seu Ecclesiastico (saltem si sit specialis denuntiatio) prout habetur etiam ex c. Si quis. 2. h. t. cum in hoc foro non tam vindictæ publicæ, quam charitativæ emendationi locus paretur; & hinc non tenetur denuntiator ad poenam talionis subeundam scribere, uti habetur in c. Super his 16. h. t. quamvis alie juris solemnitates, quæ in libello accusatorio requiruntur, etiam in hac judiciali denuntiatione servandæ sint, ad clariorē magis denuntiationem, & fraudulentam

Y y

lentat